



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

De Rubricis generalibus Horarum Canoniarum. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40233**

## De Rubricis generalibus Horarum Canoniarum.

## CAP. I.

**I** DE voce *Rubrica* alibi diximus, initio *Commentar. in Rubric. Missalis, Tomo superiore pag. 1.*

2 Vsurpata fuit eadem vox prius in Breuiario quàm in Missali, & reperitur in *editione Veneta Breuiarij ante annum 1550.* sed Pius V. inscripsit omnes leges Breuiarij titulo Rubricarum generalium, quod antè non fuerat factum.

3 Paucissimi tamen erant earum Tituli, nempe vndecim tantùm, in prima editione iussu Pij V. hausti è Directorio diuini Officij, composito à Ludouico Ciconiolano, Regularis Obseruantia, sub Paulo III. qui & Directorium approbavit.

4 Rubricarum additio, detractio, mutatio prohibentur in Bulla Pij V. in his enim est formula data precandi in Breuiario. Quare, si notabiliter Officio diuino iniuriam facis in obseruantia Rubricarum substantialium Officij, grauitè peccas; non ita in accidentarijs accidit Rubricis, puta si sedens recites, quæ flexis genibus iubentur dici, in oratione priuata, secùs esse posset in publica, si absque causa fiat, aut cum aliorum offensione, *Suar. Tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. nu. 2. & alij apud Bonacin. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. num. 1. & 2.*

5 Diuido nunc Rubricas in tres partes, quas prosequar in proximis & distinctis Sectionibus. Alia spectat ad totum integrum Officium; quod est vel Duplex, vel Semiduplex, vel Simplex, vel Dominicale, vel Feriale, vel

de Vigilia, vel de Octaua, vel de Officio S. Mariæ in Sabbato, vel pro Officio Commemorationem habet, vel concurrit cum alio, vel occurrit, ita vt alterius accidat Translatio: de quibus agitur in Breuiario primis vndecim Titulis seu Capitibus. Alia continent ritus proprios maiorum partium, hoc est Horarum, Officij, de quibus à Titulo 13. vsque ad 18. inclusiue, Matutini scilicet, Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum & Completorij. Alia denique versantur circa partium partes, ex quibus ipsamet Horæ componuntur, nempe Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, initium Horarum, Inuitatorium, Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Cantica, Versus, Absolutiones, Benedictiones, Lectiones, Responsorij, Capitula, Orationes, Hymnus *Te Deum*, Symbolum Athanasij, Preces, Suffragia Sanctorum, Antiphonæ beatæ Mariæ finales, de quibus in Rubricis Breuiarij à Titulo 19. ad Titulum 36.

## De Duplici Officio. CAP. II.

**V**arietas Officij & Festorum inde est, quia stella, secundùm Apostolum, differt à stella in claritate; & quia, ex *Dionysio Areopag.* Ecclesiastica Hierarchia repræsentat aliquantulum in suis actionibus cælestem Hierarchiam, in qua Sancti secundùm meritum diuersitatem disponuntur; ideo ad hoc repræsentandum varietas Officiorum diuersorum in Ecclesia reperitur. Hæc *Durand. in Ration. lib. 7. cap. 1.*

2 Hæc vox *Duplex* apud *Durand.* loco cit. habetur, apud antiquiores non habetur; & ex eodem Durando significat,